

9661

1768, 20.
Ad: 64.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
ADITIONE HEREDITATIS
A FILIO FAMILIAS
FACTA
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AUDITORIO PETRINO
DIE IV. JANVAR. ANNO CICICCLXVIII.
PVBLICE DEFENDET
IOANNES CHRISTIANVS KARSCH
KOENIGSERVCK. LVSAT. SVP.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.





DE
ADITIONE HEREDITATIS
A FILIO FAMILIAS
FACTA.



§. I.

Frustra esset de aditione hereditatis a filio familias tanquam suo herede patri succedente differere, quippe tunc, si ex *suitatis* quod vocant iure succedit, ipso iure, vel, si ex Romanorum opinione manuis, ipsa natura succedit. Hinc *συνδεποτέα* illa, quam intestatae successionis originem BYNKERSHOEK Observ. Lib. II. cap. I. putat, cui quidem *συνδεποτέα* mallem communionem sacerorum familiae substituere, ut alibi probauimus,



in qua communione sacrorum et illius apud CICERONEM de Orat. Lib. I. c. 38. disputationis: *An filius neque heres scriptus, nec nominativus exheres pro exhereditato habendus, cardo versatur.* Hinc nobis de eo, quo filius familias intestatus patris heres se bonis immiscet, aut obtento a Praetore beneficio abstinet ab hereditate paterna, nulla est disputatio.

§. II.

Est ergo ea praecipue quaestio, si in testamento filius familias tanquam voluntarius heres scriptus, quid circa aditionem illius hereditatis iuris. Forsan an haec quaestio ulli dubio subiecta sit, dubitari posset, nisi quae a Justiniano introducta peculii irregularis aduentitii species ex eo, quod inuitu patre adita sit hereditas, variis quaestionibus causam praebet. Distinctius rem tractabimus, quo materiam, quae et a fore aliena non est, clariorem reddamus.

§. III.

Patria illa Romanorum potestas, quae patri perfectum in liberos concedebat imperium, causa erat, ut filius familiis hereditatem sibi derelictam testamento, cum eandem antiquo iure non sibi, sed patri acquireret, prius adire non posset, nisi *tussum patris.* Causam vero in ipsa per aditionem oriunda obligatione quaerimus. Sicut enim pater per filium acquirebat hereditatem, ita contra ex aditione hereditatis obligabatur non tantum ad legata fideicommissa, verum etiam ad testatoris aes alienum soluendum, reliquaque testatoris facta praefenda. Hinc PAVLVS in L. 6. π. de acquir. vel omitt. hered. recte philosophatur: *Qui in aliena est potestate, non*




non potest **INVITVM** hereditati obligare eum, in cuius est potestate. Et cum in hac causa, vbi heredem habemus alterius potestati subiectum, a seruo ad filium familias concludere possumus, alia iuris capita idem thema probant. Sic **IVLIANVS** in L. 45. π. de Aquir. vel omitt. hered. probat: *Additionem hereditatis non esse in opera seruili.* Sic **MODESTINVS** in L. 25. π. de Condit. institut. Ait: *Sub conditione heres institutus seruus sine iussu domini conditioni parere NON potest.* Ita amplius **PAVLVS** in π. de Legat. I. Ait: *nec a filio familias sine iussu patris optari posse.* Et cum in additione hereditatis voluntatis adest debeat declaratio, nos heredes esse velle atque obligatos, **VLPIANVS** in L. 4. π. de Reg. Iur. adserit: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.* Quomodo ergo sine imperio illo paterno filius adest hereditatem sibi delatam?

§. IV

Eousque omnia bene! Sed quid faciamus cum acutissimo nostro **PAVLO** in L. 3. §. I. π. de Condit. et Demonstr. qui sibi ipsi et maxime Modestino contrarius est. Scribit enim: *Item seruus vel filius familias sine iussu patris vel domini conditionem implere possunt.* Mouit haec Pauli sententia **CVIACIVM**, ut notat **CONTIVS** in Not. ad L. 25. π. de Condit. institut. vt Modestinum corruptum pronunciet particulamque abnuptiam contra autoritatem MSti Florentini expungendam censeat, quem sequuntur alii et inter eos **Vir Ampl. IO. WENDEL. NEVHAVSS** in Not. ad Bestii rationem emendand. leges Cap. I. p. 60. Observat praeterea **CHARONDAS** in suo MSto particulam non defuisse et Modestini locum ita scriptum: *Sub conditione heres*

A 3 *Sub conditione heres* institut.



institutus seruus sine iussu domini conditioni parere potest.
Si ita res se haberet, frustra antea a nobis disputatum esset.

non scilicet nulli hec curia et consilium iniusteque arbitratum
sit in modo quod omni mobi aliquo mutando committit exibit
omnem levem actionem. §. V.

Haud vero arbitror ex animi sententia particulam **NON** in lege aliqua vel adponendam vel ciiciendam esse, nisi manifestissimam aliquam committere velimus improbitatem, qui quod iustum esse debebat vel intrusa vel electa illa particula iniustum efficimus, praeterquam eo casu, si manifestissima legis depravatio appareat, quae analogiae iuris refragatur omni. At hoc themate **P A V L V S** cum **M O D E S T I N O** facile redibit in concordiam, nec opus aliqua medicina hic saniori applicanda. Loquitur enim **M O D E S T I N V S** de ea conditionis hereditati vel legato adscriptae adimplitione, quae eum producat effectum, ut pater, ut dominus et acquirat hereditatem, et obligetur, cui *nec seruus nec filius parere potest sine iussu domini vel patris.* At si de solo illo adimplendi facto sermo est, recte adffirmat **P A V L V S**, posse a filio familias sine iussu patris impleri conditio. Integrum enim erat adhuc patri et domino, an, conditioni licet satisfactum sit, velit agnoscere adimplitionem conditionis, quae sine suo iussu adimplenta erat, et sic adire hereditatem. Patet id ex **P A V L I** verbis postremis: *quia eo facto nemo fraudatur.*

¶ **§. VI.**

Satis probauimus antiquo iure sine patris consensu filium nequiuuisse adire hereditatem; nec haec immutata esse cernimus, a quo tempore aliunde acquisita a filio familias patri propria amplius non siebant, sed in quibus relicta filio familias

7

milias proprietate, patri tantum vſusfructus concedebatur. Sed a quo tempore IVSTINIANVS in L. 8. §. 1. C. de bonis quae liber. introducerat peculium irregulare illud, seu aduentitium extraordinarium, quaefatio enata est, an, si filio familias ex testamento hereditas obueniat, requiratur adhuc iussus patris. Sane in cit. L. 8. verbum *Sin adire maluerit.* videtur in arbitrio filii posuisse, an patris iussum expectare voluerit, nec ne. Sed mihi diuersa videntur themata separanda. Si filius adhuc impubes solo iussu patris eiusque auctoritate adire hereditatem filius debet. Si vero sit minorenne, seu vt loqui amat Iustinianus, si sit secundae aetatis, vt ipsem et possit voluntatem suam declarare, tunc ante omnia patris requirendus consensus, quem spernere haud licet. Eo enim consentiente filius adeundo hereditatem sibi quidem quo ad proprietatem, patri vera tunc quo ad vſum fructum acquirit. Iam vero, si ipse filius nolit adire hereditatem, licet praecedat patris iussus, tunc ipsem et pater eandem adire sibique acquirere poterit integrum hereditatem; quod affirmant verba. cit. Leg. 8. *Siquidem recusauerit filius, licentiam damus patri simili modo hereditatem adire et eam pleno iure habere.* Contra vero si consensum neget pater, etiam pleno iure sibi acquirendi licentiam dat Imperator filio his verbis: *Sin autem patre recusante filius adire maluerit (sc. quam ex voluntate patris repudiare) damus quidem licentiam ei hoc facere. caet.* Hinc in hoc antiquum ius sublatum non est, quo filius iussu patris adire debebat hereditatem testamento sibi delatam, temperatum vero in eo, vt si recusaret pater, tunc demum etiam sine patris iussu, dummodo minorenne esset filius, adeundi facultatem filius familias obtinuit.

§. VII.



§. VII.

Tandem, quid nostro iure? Eam sane patriam potestatem, quam solis Romanis tribuit Iustinianus Germani nec habent, nec habuere vnuquam; Ex iure vero patriae potestatis sequebatur iussus patris in adeunda hereditate. Et quamvis Iustinianeo iure temperata fuerit patria potestas, semper tamen pater dominium retinuit in liberos. Populares vero nostri nunquam dominium in liberos patri tribuerunt, qui societatem potius familiam putabant, cuius primas partes patri tribuebant. Hinc coniiceres forsan iussum parentum non requiri amplius in adeunda a filio familias hereditate testamento eidem relictâ. Sed non recedendum hoc themate a iure Iustinianeo arbitror. Quanquam enim pater liberorum dominus non est, tamen nihil graue passi sunt maiores nostri agi a liberis in familia existentibus irrequisito parentum consensu. Hinc cum ea, quae Romano iure disposita, a germanorum agendi consuetudine non abhorrent, in subsidium utique etiam recepta esse non dubitamus.

T A N T V M.



ULB Halle
005 880 491

3



ND18





B.I.G.

Black

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1768, 20.
No. 64

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M

D E

A D I T I O N E H E R E D I T A T I S
A F I L I O F A M I L I A S
F A C T A

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. I V R. N A T. E T G E N T. P V B L I C. O R D I N.

E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B U R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E I V. I A N V A R. A N N O C I C I O C C L X V I I I .

P V B L I C E D E F E N D E T

I O A N N E S C H R I S T I A N V S K A R S C H

K O E N I G S B R U C K. L V S A T. S V P.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

